A I. Lex ſeu Pentateuchus.

2. Prophetæ.
- 1. Joſue.
- 2. Judices.
- 3. Samuel.
- 4. Reges.
- 5. Jeremias.
- 6. Ezechiel.
- 7. Iſajas.
- 8. Schenaym Zaſar, ſeu ut Chaldæi & R. Aſer in citatum, Thamuldici Tractatus c. 1. vocant Thereſar, ſeu minores Prophetæ.

3. Cethubim, ſeu Hagiographa.
- 1. Ruth.
- 2. Pſalmi.
- 3. Job.
- 4. Proverbia.
- 5. Eccleſiaſtes.
- 6. Canticum.
- 7. Threni.
- 8. Daniel.
- 9. Eſther. B
- 10. Eſdras.
- 11. Paralipomenon.

In eodem c. 1. Babæ bathræ dicuntur Rabbini quidam Danieli adjunxiſſe Eſdram & Nehemiam, fortè quia hi velut illius interpretes exiſtimati, ut Danielis c. 9. opinatur *Brugthonus pag.* 36. At iſtum ordinem refert etiam R. *Godolias in ſua Kaballæ Catena fol. 69. v.* Cum triplici tamen diſcrimine. Nam 1. in Prophet. Iſajam ſexto loco ponit ante Ezechiel. 2. in Hagiographis poſt Threnos octavo loco numerat Eſtherem. 3. omittit Danielem, & Eſdram.

II. Apud Maſorethas.

1. Lex.

2. Prophetæ.
- 1. Joſue.
- 2. Judices.
- 3. Samuel.
- 4. Reges.
- 5. Iſajas.
- 6. Jeremias.
- 7. Ezechiel. C
- 8. Minores Prophetæ.

3. Hagiographa.
- 1. Paralipomena.
- 2. Pſalmi.
- 3. Job.
- 4. Proverbia.
- 5. Ruth.
- 6. Canticum.
- 7. Eccleſiaſtes.
- 8. Threni.
- 9. Eſther.
- 10. Daniel.
- 11. Eſdras.

Maſoretharum verò iſtum ordinem ſequuntur ferè Hiſpani Judæi: Sicuti Thalmudicum ferè tenent Germani, & Galli, prout citato loco admonet R. Godolias Aben Chaya.

III. In Magna Hebræorum Bibliorum editione Bombergiana.

D 1. Lex.

2. Prophetæ.
- Priores.
  - Joſue.
  - Judices.
  - Samuel.
  - Reges.
- Poſteriores.
  - Iſajas.
  - Jeremias.
  - Ezechiel.

3. Cethubim Hagiographa.
- 1. Thillim Pſalmi.
- 2. Miſchle ſeu Proverbia.
- 3. Job.
- 4. Daniel.
- 5. Eſdra.
- 6. Paralip.
- 7. Megillot. 5.
  - 1. Canticum.
  - 2. Ruth.
  - 3. Threni.
  - 4. Eccleſiaſtes.
  - 5. Eſther.

  ſecundùm ordinem, quo in anno, priùs, aut poſterius eos libros ſynagoga, videlicet, legit.
  - 1. In Paſchate.
  - 2. In Penteco.
  - 3. Die 9. mẽſis A. B.
  - 4. In Sucoth, ſeu feſto Tabernaculorũ.
  - 5. Mẽſe Adar, in feſt. Purim.

IV. In Germanorum Judæorum bibliis ordo idem, niſi quòd Hagiographa ſic collocentur. E
- 1. Pſalmi.
- 2. Proverbia.
- 3. Job.
- 4. Megilloth. 5. ut ſuprà, ſcil. ordine, quo in Synagogis legi ſolent.
- 5. Daniel.
- 6. Eſdra.
- 7. Paralipomena.

V. Apud S. Hieron. in Prologo Galeato idem ex Hebræorum ſententia refertur ordo, niſi quòd in Hagiographis traditur hic.
- 1. Job.
- 2. David.
- 3. Salomonis Proverbia.
- 4. Eccleſiaſtes.
- 5. Cantica.
- 6. Daniel.
- 7. Paralipomena.
- 8. Eſdras. I. II. F
- 9. Eſther.

HÆRETICORUM ORDO
Quoad Libros Sacros.

Ex aliis libris, qui verè divini ſunt, alios Hæretici noſtri dicunt Canonicos, alios Apocryphos. In illis, Judæorum ferè ordinem ſequuntur libentiùs; vel fingunt, qui ipſis allibuit, alium.

I. Munſterus quidem à communi noſtro ordine abit, quia apud eum ſunt.
- 1. Majores Prophetæ. 3. Iſajas. Jeremias. Ezechiel.
- 2. Minores duodecim.
- 3. Pſalterium.
- 4. Job.
- 5. Proverbia.
- 6. Daniel.
- 7. Paralipom.
- 8. Cantica Canticorum. G
- 9. Ruth.
- 10. Threni.
- 11. Eccleſiaſtes.
- 12. Eſther.

II. In Tigurinis verò Bibliis poſt alios eodem, qui ſuprà, ordine.
- 1. Eſther.
- 2. Prophetæ Majores quatuor.
- 3. Minores Prophetæ.
- 4. Job.
- 5. Pſalterium.
- 6. Libri Salomonis.

III. In novo teſtamento à Luthero ponitur.
- 1. Epiſtolæ S. Petri. I. II.
- 2. Epiſtolæ S. Joannis. I. II. III.
- 3. Epiſtola ad Hebræos. H
- 4. Epiſtola S. Jacobi.
- 5. Epiſtola Judæ.
- 6. Apocalypſ.

IV. In Tremelii & Julii editione Apocryphi ſejuncti ab aliis ponuntur, & appendix veteris Teſt. vocantur; ſicque collocantur & recenſentur Hiſtorici ex temporis ſerie diſpoſiti.

Tobiti Lib. I.
Oratio Manaſſis.
Judithæ Lib. I.
Epiſt. Jeremiæ.
Heſdræ. III. IV.

Adjectiones ad Librum Eſtheræ.
Schimbonis Lib. I. qui vulgò Machabæor. III.
Machabæorum. I. II.

Dida-

A Didaſcali.

Liber Sapientiæ.
Eccleſiaſticus.

V. In editione Tigurina ſic diſpoſuit Zuvinglianus Cholinum.
- 1. Sapientia.
- 2. Eccleſiaſticus.
- 3. Oratio Manaſſæ.
- 4. Baruch.
- 5. Partes Danielis.
- 6. Judith. III.
- 7. Eſdræ. IV.
- 8. Eſtheræ partes.
- 9. Machabæorum. I. II.

VI. In Germanica Lutheri editione.
- 1. Judith.
- 2. Sapientia.
- 3. Tobias.
- 4. Sirach.
- 5. Baruch.
- 6. Machabæi.
- 7. Eſtheræ partes.
- 8. Danielis partes.

B Alii omiſſi in VVittembergenſi editione an. 1551. Francofurtenſi an. 1563. Herbonenſi an. 1598. aliiſque, quas videre licuit omnibus. Veriſſimè verò *Caſſiod. l. 1. Inſt. Divin. Lect. c.* 11. Sunt nnnnulli, qui putant eſſe laudabile, ſiquid contra Antiquos ſapiant, & aliquid novi, unde periti habeantur, inveniant.

---

* Bibliopolæ.

BIbliopolæ ſunt, qui vendunt libros. Dicti à βιβλίον, quod Librum ſignificat, & πωλέω, quod eſt Vendo.

Soſii librarii Romani. Sic Horat. *l. 1. Epiſt. ult.*

Vertumnum, Ianumque liber ſpectare videris:
Scilicet ut proſtes Soſiorum pumice mundus,
Odiſti claves, & grata ſigilla pudico:
Paucis oſtendi gemis, & communia laudas,
Non ita nutritus.

Hermodorus quidam Platonis auditor commentarios ab illo conſcriptos in Siciliam deportare conſuevit, atque inibi venditare. Unde Siculi, ut ſunt dicaces, rem in Proverbium verterunt, dicentes: Hermodorum pro mercibus C importare verba. Cæterùm Sophiſtæ & Philoſophi lucubrationes ſuas λόγυς appellant. Alluſit haud dubiè huc *M. Tull. lib. Epiſt. ad Attic.* 13. Dic mihi, placetne tibi primùm edere injuſſu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat is, qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare, ex quo λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Hinc & λογέμπορος dictus, qui præter verba nihil adfert. *Eraſm.*

Tryphon librarius & bibliopola *apud Martial. in Epigr.*
Non habeo, ſed bibliopola Trypho.

Narſes Eunuchus (qui poſteà à Juſtiniano Imp. in Italiam miſſus fuit contra Gothos, & Totilam primò, mox Thejam, eorum reges, devicit & occidit) bibliopola fuit. Mox ab Imperatore in cubiculum ſuum adſcitus, & ordine patricio cohoneſtatus, occaſionem virtutes ſuas declarandi habuit. *Platina in vita Pelag. 1.*

Bibliothecæ.
Quæ & Libraria.

IN GENERE.

Scripſit de Bibliothecis poſt omnes alios, eruditum ſyntagma D *V. C. Iuſtus Lipſius, in quo originem, & veterum Bibliothecarum exempla adduxit, & deſcribit. Nonnulla ab eo mutuata in hunc locum tranſtulimus, additis pleriſque aliis ejuſdem argumenti.*

* BIBLIOTHECA, ET LIBRARIA QUID.

Reges veteres habuiſſe, atque illos Ægypti. Earundem etiam Origo, Progreſſus.

BIbliotheca tria ſignificat, Locum, Armarium, Libros. Græca vox Latinis in uſum etiam venit, & quamquam Librariam dicunt, tamen magis commune eſt, ea voce tabernam capi, in qua venales libri extant: ſed Bibliothecarum vox vetus, & niſi fallor, cùm ipſis literis adinventa. Nam ſimul ac ſcire ſapere natum eſt, mox etiam ſcribere: iſtud eſſe cum fructu non potuit, niſi ut libri adſervarentur & diſponerentur, & ad præſentium & poſterorum uſum. Privata primùm ea cura, & quiſque ſibi ſuiſque ſtruebat: poſtmodùm Reges & Dynaſtæ uſurparunt, nec in uſum ſolùm, ſed ambitionem, aut ſplendorem. Sanè multos congerere, vix fuit privati hominis, aut cenſus, cùm tarda & impendioſa deſcriptio eſſet: donec utiliſſima hæc Typographia rem in compendium miſit. Qui primus Regum illuſtrem habuit E (quod memoria ſervet) is fuit Oſymanduas Ægypti. Qui inter alia operum præclara, S. Bibliothecam ſtruxit, & in ejus fronte proſcripſit, ψυχῆς ἰατρεῖον, Animi Medica Officina. Ita *Diod. l. 1.* Et quamquam ille inter veteres Regum fuerit; non tamen dubito exemplum, ſi non ipſam rem, manſiſſe, & in Ægypto Bibliothecas ſemper aliquas exindè extitiſſe; idque in templis præcipuè, & ſacerdotum cura. Multa argumenta, tum & illud de Homero: quem *Naucrates Euſtat. in Præfat. Odyſſ.* quidem plagii accuſat, & in Ægyptum cùm veniſſet, libros reperiſſe Phantaſiæ fœminę, quæ Iliadem, atque Uliſſeam ſcripſerit, & Memphi in templo depoſuerit Vulcani. Homerum igitur vidiſſe, ſibi adſcripſiſſe, & edidiſſe. Quæ in viro opinor falſa, rem tamen & morem firmant.

In Specie.

Librorum ſtudium. Bibliothecæ tam privatæ quàm publicæ.

☞ *Cùm non ſemper vivos habeamus præceptores, aut certè non ſemper doctos & bonos, Bibliothecæ à Regibus olim & locupletibus hominibus inſtitutæ fuerunt, in quibus optimorum au-* F *ctorum libri reconderentur: & à quibus ſuo item tempore, tanquam è penu, depromi poſſent. Si ſpectes ſumptum, ad locum Magnificentiæ pertinent: ſi opulentiam, inter Fortuita connumerari merentur, ſi ſubjectum Lectionis, hujus ſunt loci.*

Propter Regum Judæorum idololatriam, & populi graviſſima ſcelera, factum eſt, ut deſtructa ſynagoga, libri ſacri interciderent, ſub Joſia rege à ſtudioſis viris vix tandem reperti. Sedechia autem regnante, Hieroſolyma rurſus devaſtata, templum exuſtum cum libris. Verùm Eſdras ſacerdos & legis doctor, poſt captivitatem Babylonicam, Moyſis & Prophetarum libros reſtituit, & in ordinem redactos publicè interpretatus eſt, idque per dies ſingulos à primo ad noviſſimum. 2. *Eſdr.* 8. Deinde alios ipſe libros adjecit. Nam Moyſes præter leges ſcriptas, ſecretiora quædam myſteria, uti à Deo acceperat, ſapientioribus tantùm (quos Origenes Conſiliarios mirabiles vocat) tradidit. Quæ propterea Cabala, ſive traditio appellabatur, quòd non per literas, ſed ſucceſſione quadam, hæreditario jure, alter ab altero reciperet. Sicut in Eccleſia Chriſti traditiones quædam ἄγραφαι, ab Apoſtolis hactenùs quaſi per manus ad nos tranſmiſſæ creduntur. Nihil enim aliud erat Cabala, quàm do- G ctrina quædam viva voce tradita, continens certiſſimam divinæ legis ſcriptæ interpretationem. Quam Eſdras de 70. doctiſſimorum virorum conſilio in libros redegiſſe legitur ne, ſi quando propter bella & captivitates inſtitutus à majoribus tradendi mos obſervari non poſſet, cœleſtis doctrinæ arcana interirent. Quòd verò eos tam diligenter in ſynagoga ſua conſervarint Judæi, non abſque ſingulari providentia Dei factum eſſe affirmat *Juſtin. in orat. contr. Gentes* ne Chriſtianis eos proferẽtes, quaſi ſuppoſiti aut corrupti eſſent, & ἀφείφαστν ῥαδιουργίας maledicis præberẽt: unde & Chriſtianorum bajuli, ſive ſcriniarii, à B. Aug. vocantur; 4. *Reg.* 2. *Joſeph. l. 10. c. 10. Euſeb. l. 3. c. 8. Middendorp. de Acad.*

Nehemias è Babylonica captivitate revertens, librariam inſtituit, & Epiſtolas de rebus geſtis Regum congeſſit. Poſteà Judas Machabæus, capta urbe ab Antiocho Epiphane, omnia collegit, quæ ſuperbus hoſtis reliqua fecerat. 2. *Mach.* 2.

Apud Perſas Syſiana Bibliotheca admodùm memorabilis fuit: quam Metaſthenes Perſas conſuluit, cùm de judicio H temporum & annalium Perſarum, poſt Beroſum, ſcriberet, in qua Annales Perſarum fuerunt. *Metaſthenes in Hiſt.*

Piſiſtratus tyrannus Bibliothecam primus Athenis publicavit, quam Xerxes urbe potitus ad Perſas tranſtulit. Eam deinde multis poſt annis Seleucus Nicanor referendam curavit. Homerus ejus juſſu, in eum qui nunc eſt, ordinem redactus fuit. Quidam tamen hoc filio Hipparcho tribuunt. *Gel. l. 6. cap.* 17. Eam Adrianus Imp. reſtituit, & mirabilem conſtruxit novam, teſte *Euſeb. & Adone apud Platin. de vita Alex.* 1. Scribit *Egnat. in vita Claudii*, quòd cum Gothi bibliothecam hanc exurere conarentur, quidam eis perſuaſerunt, à Muſis abſtinendum, & literis parcendum eſſe, quibus dum Græci diligentiùs incumberent, minùs ad bella idonei redderentur.

In Cnido inſula, una ex Cycladibus, Bibliotheca fuit, quam Andreas Medicus, in eo quem de Medicinæ origine conſcripſit libro, Hippocratis igne concrematam ex invidia (contrariam enim Medicinæ ſectam Cnidii tuebantur) ſcribit. *Soran. in vita Hippocratis.*

* Ale-

A * ALEXANDRINA BIBLIOTHECA, *cui Philadelphus primus & præcipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum. Combuſta, & iterum inſtaurata.*

Sed reliquæ ibi in obſcuro ſunt: Ptolomæi Philadelphi Regia in magna luce & laude fuit. Is Ptolomæi Lagi filius, ſecundus eo nomine & ſtirpe Ægypti regnum, artium & ingeniorum cultor, & quod adhæret, librorum. Itaque Alexandriæ ingentem Bibliothecam compoſuit, inſtructione & exemplo Ariſtotelis adjutus, imò & ipſis ejus libris. Nam Ariſtoteles, ut poſt dicam, copia & delectu inſignem Bibliothecam adornaverat. De qua *Strab. l.*1. Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Ariſtoteles primus, quem norimus, collector librorum fuit, & reges in Ægypto docuit Bibliothecæ ſtructuram. Quæ tamen cautè & cum ſua interpretatione legenda: nec enim vel primus omninò fuit; & certè duobus avis anteriorem docere Philadelphum hunc non potuit, niſi, ut dixi, exemplo. Hoc fortaſſe verum, quod ab Athenæo ſcriptum: Ariſtotelem Theophraſto libros reliquiſſe, hunc Neleo, à quo eos mercatus Ptolemæus,
B cum iis quos Athenis, & Rhodi coemerat, omnes in pulchrā Alexandriam transferri curavit. Etſi alii tamen diſſentiunt. Bibliothecam igitur ille undique & omne genus libris inſtruxit, etiam ſacris, & è Judæa petitis. Nam cum aures ejus fama tetigiſſet Hebrææ ſapientia, miſit qui libros depoſcerent, & idoneos ſimul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium uſui. Ea interpretatio eſt, quam 70. à numero ſcil. qui operam dederunt, dicunt. Id eveniſſe ann. ejus regni 17. *Epiph. tradidit. De pond. & menſur.* Olymp. 127. Præerat Bibliothecæ, vir ſcriptis & factis illuſtris, Demetrius Phalereus, exul à ſuis Athenis: & quem rex benignè habitum, ad hæc, & majora miniſteria admovit. Idemque à Chaldæis, Ægyptiis, & Romanis etiam libros petivit, & pariter in linguam Græcam transfundi curavit. De quibus *Georg. Cedr. l.*22. Philadelphus libros Sacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos, alioſque diverſilingues in Græcam omnes converti curavit, in univerſum ad 100. mil. voluminum: quæ omnia in bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuit. Verùm hic Librorum numerus de converſis duntaxat accipiendus: atque ipſos primogenios
C Græcos longè ſuperaſſe. Hoc alii ſcriptores dixerint, qui valdè adaugent, ut *Sen. de Tranq. c.9.* XL. M. librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Sanè pulcherrimum, & ſupra gemmas omnes vel aurum: ſed quantò pulchrius, ſi uberius? Nam nec is Senecæ numerus ex vero ſatis, & ad 700. mil. redigendus; *ut Joſeph.* docet, qui tradit, Demetrium (illum Præfectum, de quo dixi) aliquando interrogatum à Philadelpho, quot millia librorum jam haberet? reſpondiſſe, 200. mil. admodùm, ſed ſperare brevi ad quingenta. 12. *Antiq. c.* 11. *Euſ. de præp. l.8. ex Ariſt.* Vides, quàm auxerit: ſed quantò magis poſteà, atque etiam alii Reges? Profectò ad 700. mil. venerunt: *Agellio* diſertim ſcribente, *l.6. c. ult.* Ingens numerus librorum in Ægypto à Ptolomęis regibus vel conquiſitus (emptione) vel confectus (deſcriptione) eſt, ad millia fermè voluminum 700. Idem *Ammian.* verbis ſtatim dandis: idem *Iſid.* ſed emendandus: 70. mil. librorum Alexandriæ, Philadelphi temporibus, inventa ſunt. Scribendum, inquam, ſeptingenta. O theſaurum, ſed in re æterna non æternum! Nam totum hoc, quidquid fuit librorum, bel-
D lo civili Pompejano periit, cùm Cæſar in ipſa urbe Alexandria bellum cum incolis gereret, & tuitionis ſuæ cauſa ignem in naves miſiſſet, qui & vicina navalibus, ipſamque Bibliothecam comprehendit & abſumpſit. Triſte fatum, & Cæſari (etſi abſque deſtinata culpa) pudendum! itaque nec ipſe in tertio Civilium, nec Hirtius deinde meminere: alii tamen, ut Plut. Dio, etiam Livius, uti ex Seneca facile eſt haurire. Nam poſt ſuperiora illa verba, addit: Alius laudaverit, ut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuiſſe. Sunt ipſa Livii verba, ubi de hoc incendio, & juſto elogio in rem & Reges. De hoc triſti igne etiam *Ammian. l.*22. Inter templa eminet Serapeum, in quo Bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles: & loquitur monumentorum veterum concinens fides, 700. voluminum millia, Ptolomæis regibus vigiliis intentis compoſita, bello Alexandrino, dum diripitur civitas, ſub Dictatore Cęſare conflagraſſe. Ipſe in direptione eveniſſe vult: itemque *Agel. l6.* Ea omnia volumina, inquit, bello priore Alexandrino (ad diſcrimen ejus, quod ſub Antonio) dum diripitur civitas, non ſponte, neque opera conſulta, ſed à militibus fortè auxiliariis incenſa ſunt. Hic igitur finis nobilis bibliothecæ, Olymp. E
183. cùm vix 224. ann. fuiſſet. Etſi revixit tamen, non eadem (quod potuit) ſed conſimilis, & eodem loci, id eſt, in Serapeo, collocanda. Auctor reparandi Cleopatra, illa amoribus Antonii famoſa: quæ ab eo in auſpicium & velut fundamentum operis impetravit Bibliothecam Attalicam, ſive Pergamenam. Itaque totam cum dono cepiſſet, & transferri curaſſet, iterùm adornata auctaque eſt, & Chriſtianorum etiam temporibus in vita & fama fuit. *Tert. Apolog. c.*18. Hodie apud Serapeum Ptolemæi Bibliothecæ, cùm ipſius Hebraicis literis, exhibentur. Nota, apud Serapeum iterùm fuiſſe, id eſt, in ejus porticibus: atque id vicinum portui, & navalibus, ex Strabone aliiſque dicas. Nota & Ptolemæi Bibliothecas dici: etſi reverà non illæ jam eſſent, ſed conſimiles, & primogenii illi Hebraici libri, unàque 70. interpretatio flammâ periiſſent: Tamen ecce tanta auctoritas & fides ab antiquo ejus Bibliothecæ, ut Tert. gentiles eò advocet, aut amandet. Credo ſtetiſſe, quandiu ipſum Serapeum, immenſæ molis & ſtupendi artificii templum, quod Chriſtiani denique, Theodoſii majoris imperio, ut arcem ſuperſtitionis demoliti à fundo ſunt, Eccleſiaſticis F
ſcriptoribus traditum & laudatum.

* GRÆCÆ BIBLIOTHECÆ, *Piſiſtrati & Ariſtotelis præcipua, itemque Byzantina.*

De nobilioribus Græciæ Bibliothecis ſtrictim *Ath. l.*1. ubi Laurentium ſuum ita in hoc ſtudio parandorum librorum dilaudat, ut dicat eum, Polycratem Samium, Piſiſtratum tyrannum, Euclydem Athenienſem, Nicocratem Cyprium, Euripidem Poetam, Ariſtotelem philoſophum ſuperaſſe. Et de omnibus iſtis ſigillatim non habeo dicere, niſi de Piſiſtrato, cui & laudem primi auctoris in hoc ſtudio Agellius adſcripſit. Et ſanè Polycrates ævo ferè concurrit. Sed *Agell. verba l.6.* Libros Athenis diſciplinarum liberalium, publicè ad legendum præbendos, primus poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus. Magnus vir (odioſum hoc modo cognomen tolle) & cui Homerum etiam digeſtum & correctum numquam ſoluturi debemus. Adeò critica hæc cura olim Principum, imò Regum, fuit.

Ea Bibliotheca ab ipſis deinde Athenienſibus variè aucta, donec ſpoliavit & auxit Xerxes, Athenarum potitus. Sed eoſdem, *Olymp.* 117. multis poſt annis, Seleucus Nicanor, Syriæ G
rex, liberaliter remittendos Athenas curavit, donavitque. Et manſiſſe deinde ad Sullæ tempora, qui & ipſe Athenas cepit, diripuit, afflixit: poſteà tamen inſtauratam, juſtè opinor: quomodò enim mater artium ſine inſtrumento hoc librorum? Imò plures ibi Bibliothecæ poſteà: & Hadr. Imp. Jovis Panellenii ædem Athenis ſtruxit, & in ea Bibliothecam, Pauſaniæ ſcriptum. Sed de Euclidde, quod ait Athenæus, hunc Archontem fuiſſe, inter primos ejus magiſtratus comperimus: nec ultrà. De Ariſtotele autem, Strabo magnificè in verbis, quæ ſuprà dedimus: & addimus ex Athenæo, Bibliothecam ejus tandem ad Ptolomæos Reges veniſſe: etſi Strabo, atque alii videantur negare. Nam ille ita *l.*3. Libros Ariſtotelis, qui ad Neleum veniſſent, ad poſteros deinde tranſmiſſos, ineruditos homines, & qui ſub clavibus eos ſine uſu ullo habuiſſent. Denique ſub terram conditos, à blattis & tineis vitiatos, tandem Appelliconi Tejo magna pecunia addictos fuiſſe. Qui eroſos laceroſque deſcribi, vulgari, etſi parùm bona fide, aut judicio curaſſet. Eo autem mortuo, Sullam Athenis potitum, eoſdem libros ſuos feciſſe, Romam miſiſſe, ibique Tyrannionem Grammaticum iis uſum, atque (ut fama eſt) intercidiſſe, aut H
invertiſſe. Quibus ſimilia aut eadem Plutarchus in Sulla. Quæ ſi vera, quomodò ad Philadelphum à Neleo venerint, Athenæo ſupra aſſertum: Niſi fortè ipſos quidem Ariſtotelis libros, ab illo, inquam, ſcriptos Neleus tenuerit, poſteriſque tranſmiſerit, ut peculiarem theſaurum; ac reliquam vim alienorum ſcriptorum vendiderit Philadelpho. Neque memoratu digna alia de Græciæ Bibliothecis. Et Romani haud dubiè pleraque talia ad ſe tranſduxerunt, Græcia jam potiti: niſi placet Byzantinam his accenſere, quę Principum ævo fuit. Nam Zonaras & Cedrenus tradunt, Baſiliſci imperio, Bibliothecam ibi conflagraſſe, in qua 120. mil. librorum eſſent recondita: inter ea Draconis inteſtinum, cxx. pedes longum, cui aureis literis Homeri Ilias, atque Odyſſea fuerint inſcripta. Etſi hæc Thraciæ propria, non Græciæ attribuenda.

* Attalica Bibliotheca, *cui Eumenes auctor. Plinii & Vitruvii aliqua hic fortè conſiderantia. Quāta, & quàm diu fuerit.*

Sicut & Attalica ſive Pergamena, Aſię: quę proxima claritate ab illa Alexandrina fuit. Nā Attalici Reges, è parvis progreſſi cum ſocietate opibuſq; Rom. creviſſent, ſedem regni Pergamum

A mum variè, tum & Bibliothecis, exornarunt. Eumenem, Attali Regis filium, auctorem huic rei *Strabo* prodidit: Eumenes, inquit, urbem inſtruxit, & donariis ac Bibliothecis, uti nunc eſt, eleganter excoluit. Et *Plin.* qui ſcribit, æmulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolemei & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomeo, membranas Pergami, ut Varro auctor eſt, repertas. Cui paria *Hieron. in epiſt. ad Chromatium*, itemque *Ælianus* tradiderunt: ſed Attalum pro Eumene nominātes. Enim verò de neutro horum ſatis convenit, ſi tempora examinas: quoniam iſti poſteriores Philadelpho, toto ferè ſæculo, fuerunt. Quomodo igitur, quod Plinius ait, æmulatio inter eos? Niſi hoc ſubvenit, Ptolomeum ſimpliciter nominari, qui alius à Philadelpho eſſe potuit, & Ptolemeus V. cognomento Epiphanes, cum Eumene vixit. Atque ille fortaſſe (quamquam de inſigni ejus ſtudio in Bibliothecas nihil proditum) chartam ſuppreſſit, invidia, ne alter veterem illam nova ſua æquaret. Sed error ſive inconſpectio clarior in *Vitruvio*, qui his verbis inſcripſit *Lib.7. initio*: Reges Attalici magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam Pergami Bibliothecam, ad communem delectationem, inſtituiſ-
B ſent: tunc item Ptolomeus, infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare. Quid, ut Attalici reges antę Alexandrinos in hoc ſtudio exemplum ardoremque iſti ab iis ſumpſerint? Imò verò cōtra fuit, & peregerant jam, cùm nec illi cogitarent. Niſi & hìc placet poſteriorem aliquem Ptolemeum intelligere. Cæterùm Bibliotheca hæc nec copia, nec ævo, Alexandrinā æquavit. Nam de utroq; iſto *Plut. in M. Ant.* ſcribit, Antonium III. virum, faſcinatum amoribus Cleopatrę. χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν; gratificatum ei Bibliothecā Pergami, in qua eſſent ducenta millia ſingularium librorum, id eſt voluminum. Hoc enim opinor ἁπλᾶ βιβλία dici, cum in uno volumine plures ſæpè libri, quos non vult in numerum hunc venire. Ergo ea ipſa ſtatim poſt Alexandrinam periit, ſed in ea vixit: an & in loco ſuo revixit? certè Strabonis ſuprà verba, ſi attēdis, ſignificant: cùm ait, Uti nunc eſt, excoluit. Quando nunc? Strabonis ſcribentis, id eſt, Tiberii ævo, ut appareat, aut revectam ab Auguſto victore eſſe, qui pleraque irrita Antonii fecit; aut certè exſcriptam iterùm, & inſtauratam.

C *ROMANÆ BIBLIOTHECÆ PRIVATÆ: *& prima publica Aſinii Pollionis.*

Tardior apud Roman. Bibliothecarum ac librorum cura, aut ſtudium fuit, utpotè Martis, non Muſarum proles: etſi hìc quoque cultus & elegantia denique invaluit, parvis primò initiis, ut ſolet. *Iſidori* notatio eſt: Romam primus librorum copiam advexit Æmilius Paulus, Perſe Macedonum rege devicto: deinde Lucullus è Pontica præda. Duos nominat, qui libros advexere, ſed publici uſus aut juris non prorſus fecere. Et de Æmilio, haud ultrà legitur: de Lucullo, *Plutarch.* ubertim. Laudanda ejus impenſa, inquit, & ſtudium in libris. Nam & multos, & eleganter ſcriptos, conquiſivit: eoſque ut liberaliter paravit, ita etiam utendos dedit: Patebant enim omnibus Bibliothecæ, & in porticus adjectas atque exedras Græci præſertim recipiebantur: qui velut ad Muſarum ædem eò ventitabant, tempuſque inter ſe jucundè traducebant, ab aliis curis liberi. Sæpè & ipſe cum iis verſabatur, & philologis ſe immiſcebat, ad has porticus, & ambulationes veniens. Ex quibus videmus, velut publicas fuiſſe has Bibliothecas, & quanquam jus mancipiumque ſibi retineret, uſum tamen
D eruditis conceſſiſſe. At verò tertium etiam his duobus licebit addere, Cornelium Sullam, poſteà Dictatorem: qui à Græcia Atheniſque magnam librorum vim traduxit, & Romæ depoſuit ac diſpoſuit: quod præter Plutarchum, *Lucian.* etiam ſcripſit *adverſus indoctum*. Tamen his omnibus verè Publica Bibliotheca nondum ſtructa, quam cogitationem primus magnanimus, & magnificus ille Jul. Cæſar concepit ac niſi fata interpellaſſent, effeciſſet. *Sueton.* de eo: Deſtinabat Bibliothecas Græcas, & Latinas, quàm maximas poſſet, publicare, data M. Varroni cura comparandarum ac dirigendarum. O rem magni animi, atque item conſilii! Nam quis in orbe terrarum huic curæ aptior M. illo Varrone, doctiſſimo inter Græcos Latinoſque? Sed deſtinavit Cæſar, non perfecit.

Auguſtus, adoptione filius, inter alia ornamenta urbis, & imperii, hoc quoque plurifariam adjunxit. Nam eo invitante atque incitante, Aſinius Pollio, orator & Senator nobilis (Suetonio narrante) Atrium Libertatis extruxit, atque in eo Bibliothecam publicavit. *Iſid.* Primus Romæ Bibliothecas publicavit Pollio, Græcas Latinaſque, additis auctorum imaginibus, in Atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum in- E
ſtruxerat. De manubiis, inquit: nempè Dalmatarum, quos vicit. Item *Plin. lib.33. c.11.* Aſinius Pollio, primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. In Atrio libertatis fuiſſe, id eſt, in monte Aventino, ex iſtis conſtat: quod tamen inſtructum aut reparatum ab eo magis dixerim, quàm extructum. Nam jam diu antè id fuiſſe, & quidem à Tib. Graccho, patre Gracchorum, Plutarchus, atque alii ſcriptores dicunt. Itaque ipſe refecit, & ad hunc uſum ſplendidè concinnavit. De eo *Ovidius* capiendus 3. *Triſt. eleg.* 1.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Non enim viros doctos audio, qui hæc ad λέσχην, ſive conventum poetarum, ducunt. Palàm libellus conqueritur, non receptum ſe in Bibliothecam Aſinii, quæ prima patuit, ſive publicata eſt, doctis libris.

* AUGUSTI, OCTAVIA; itemque PLATINA. *Præfecti, & cuſtodes iis.*

Atque hæc ſub Auguſto prima Publica fuit: duæ mox aliæ, ab ipſo. Prior Octavia: quā ſororis ſuæ memoriæ & nomini F
dedicavit. De eo *Dio Caſſius in Actis an.* DCCXXI. *l.*49. Auguſtus Porticus & Biblioth. à ſororis nomine Octavias dictas, exſtruxit. Etſi *Plut. in Marcello*, in ipſam Octaviā trāſcriberę hoc opus videtur: Εἰ καὶ τιμὴν αὐτοῦ Μαρκέλλου τὴν μνήμην Ὀκταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκεν, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἀναγράψας Μαρκέλλου: In honorem ac memoriam defuncti Marcelli, mater Octavia Bibliothecam dedicavit, Cæſar Auguſtus Theatrum, Marcelli nomine inſcriptum. Falli Plutarchum opinor: quia Dionis quidem notatio totis decem annis citerior eſt Marcelli morte. Atque addit, ex Dalmatarum manubiis opera ea ſtructa, miro concurſu, ut prima atque altera Bibliotheca genti Barbaræ debeantur. De hac & Suetonius, in Meliſſo Grammatico: Citò manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt, quòd eleganter curam ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit. Nota, in ipſa Porticu fuiſſe: quomodo? ſuperiore ejus parte, uti arbitror, tutò & decorè: cùm inferior ambulationi modò eſſet. De hac *Ovid.* item ſenſit, 3. *Triſt. eleg.* 1. G

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Nam & ab hac Bibliotheca ſpretū ſe libellus queritur: & locum ubi fuerit, deſignat, quem vicinum Theatro Marcelli. Templa autē dicit, quia in hac Porticu Junonis ædes fuit & nobiles in ea ſtatuæ: quod Plinius dicit. Altera porrò ab eodem Auguſto Bibliotheca eſt, Palatina, à loco dicta: quia in ipſo Palatio. *Sueton. cap.*29. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam deſiderari à Deo haruſpices reſponderant. Additæ Porticus cum Bibliotheca Latina Græcaq; Id factum anno Urbis DCCXXVI. ut ex Dionis LIII. initio diſcas: itaq; temporum ordinem in Bibliothecis recenſendis Ovidius ſecutus eſt, cum primò Aſiniam, tum Octaviam, denique iſtam Platinam ſic adnumerat:

Inde timore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis;
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater.
Quæque viri docto veteres fecere novique
Pectore, lecturis inſpicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,
Quos ſuus optaret non genuiſſe pater: H
Quærentem fruſtrà, cuſtos, & ſedibus illis
Præpoſitus, ſancto juſſit abire loco.

Præter alia, oſtendit & Præpoſitum ſive Cuſtodem huic loco fuiſſe: quem Suetonius facit C. Julium Higinū. Is in Grāmaticis celebris, præfuit, ut inquit, Palatinæ Bibliothecæ; nec eō ſecius plurimos docuit. Imò ſeorſim Græca cuſtodem ſuum habuit, & Latina. In marmore priſco: ANTIOCHUS. TI. CLAUDI. CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA. LATINA APOLLONIS. In alio: C. JULIUS. FALYX. V. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALAT. Et ſimiles alibi inſcriptiones. Hujus Bibliothecæ meminit & *Plin. lib.37. cap.7.* Videmus Apollinem in Bibliotheca templi Auguſti Thuſcanicum, quinquaginta pedum à pollice. Etſi poſſis referre etiam ad Veſpaſiani Auguſti Bibliothecam; quæ in pacis templo fuit. Apertiùs de Palatina idem *Plin. l.7. cap.58.* Veteres Græcas literas fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio dono Principum Minervæ dicata, in Bibliotheca: Hanc diutiſſimè Romæ manſiſſe tradit *Io. Sariſberienſis*, qui ſcribit *l.2. De nug. Cur.* Doctorem ſanctiſſimum illum Gre-

A Gregorium non modò Matheſim pepuliſſe ab aula, ſed traditur à majoribus, incendio dediſſe probatæ lectionis

Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.

In quibus erant præcipua, quæ cœleſtium mentem, & ſuperum oracula hominibus videbantur revelare.

* TIBERII, TRAJANI, VESPASIANI, ITEM CAPITOLINA; ALIÆ IGNOTÆ.

Ab Auguſto, artium ingeniorumque amantiſſimo Principe, duæ iſtæ fuerunt. Quid ab aliis? aliæ. Videtur enim certamen in hac re Principum fuiſſe, velut contendiſſe de palmâ. Ecce Tiberius ſtatim ab Auguſto, in ipſo Palatio etiam ſtruxit, ea parte qua Viam Sacram ſpectat. Nam illic Tiberii domum fuiſſe, curioſi talium hodie autumant: & in domo ejus hæc locatur, ab *Agel.l.13.c.18.* Cùm in domus Tiberianæ Bibliotheca ſederemus, ego & Apollinaris. A *Vopiſco* item *in Probo*: qui uſum ſe ſcribit libris à Bibliotheca Ulpia, item ex domo Tiberiana. Videtur & Veſpaſianus deinde ſtruxiſſe, & adjunxiſſe templo Pacis. De qua *Agel. l. 16.c.8.* Commentarium L. Ælii, qui Varronis magiſter fuit, ſtudioſè quæſivimus, eumque in Pacis Bibliotheca reper-B tum legimus: meminitque & *Galen.l.1. de compoſit. medicamentorum.* Fit item à Trajano alia, de qua etiam *Agell. l.2. c.27.* Sedentibus fortè nobis in Bibliotheca templi Trajani. Atque eſt eadem, quæ à gẽtili Principis ejus nomine, Ulpia paſſim nominatur. *Vopiſcus in Aureliano*: Hæc ego à gravibus viris comperi, & in Ulpiæ Bibliothecis libris relegi. Iterumque: Et ſi his contentus non fueris, lectiles Græcos, linteos etiam libros requiras: duos Ulpia tibi Bibliotheca, cum volueris, miniſtrabit. Hanc in foro Trajani initio fuiſſe, ubi Principis ejus alia opera, tranſlatam in collem Viminalem ad ornandas Dioclet. Thermas (an ab ipſo Diocletiano) Vopiſcus inducit. Uſus ſum, inquit, præcipuè libris ex Bibliotheca Ulpia, ætate mea Thermis Diocletianis. Cum disertè de ſua dicit, oſtendit igitur, alia ætate aliter fuiſſe. Reperio & Capitolinam, in urbe. De qua Euſebius in rebus Commodi Imperatoris: In Capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta, Bibliothecam, & vicinas quaſque ædes concremavit. Uberiùs hoc ipſum ita *Oroſ.l.7.c.16.* Flagitia regis pœna urbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, ma-C jorum ſtudio curaque compoſitam, ædeſque alias juxta ſitas, rapaci turbine concremavit. Quiſnam ejus auctor? adſerere haud liceat, divinare libeat, Domitianum fuiſſe. Nam ille ſervatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps ſtruxit: quid ſi hanc Bibliothecam? Etſi nemo tradidit, qui nunc exſtant: *Suetonius* hoc tantùm de eo universè, *cap.20.* Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſimè reparari curavit, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque. Ubi obſerves, etiam tunc illam Alexandrinam velut originem, & matricem aliarum habitam, & has corruptas ex ea iterùm refectas, & adornatas; ampliùs, Principum ſtudio ab interitu vindicatas: quod niſi fuiſſet, quomodo tam multæ illæ ad P. Victoris, id eſt Conſtantini ævum, veniſſent? Nam ille ſic inter ſingularia urbis notat: Bibliothecæ publicæ undetriginta, ex iis præcipuæ duæ, Palatina & Ulpia. Heu, quàm enim à memoria perierunt! nam ex illis 29. vix, ſeptem induſtria noſtra indagare potuit, & nomina ſaltem ab oblivione vindicare.

* Tiburtina, *& quædam etiam Privatorum uberiores. Habe-*D *bant in Balneis, atque item in agris.*

Plures, inquam, publicas non eruo: non quidem in urbe: juxta eam, Tiburi, etiam unam. De qua *Agell.l.9.c.14.* Meminimus in Tiburi Bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro ſcriptum. Iterumque *l.19.c.5.* Promit è Bibliotheca Tiburi, quæ tunc in Herculis templo inſtructa ſatis commodè erat. Hìc & alibi de templis adnotes, & ferè juxta ea, aut in illis fuiſſe. Quidni ſacra illa ingeniorum opera in locis ſacris? fortaſſis autem Hadrian. Imp. illam Tiburi inſtruxit, quem eo loco & ſeceſſu impensè delectatum conſtat, variaq; & ampla inædificaſſe. Et ſi mihi certum, aliis municipiis Coloniiſque Bibliothecas ſparſas fuiſſe, æquè atque artium iſtum cultum. Sed & privatim viri divites, uſus & famæ cauſa, ſibi pararunt: & nobiles ex iis quaſdam. Sicut Tyranno Grammaticus, Sullæ temporibus: qui tria millia librorum poſſedit. Sicut Epaphroditus Chæroneus, item Grammaticus profeſſione, quem Suidas tradidit, ſub Nerone ad Nervam Romæ vixiſſe; aſſiduè libros ementem, uſque ad triginta millia collegiſſe optimorum quidem & ſelectorum. Laudo hoc ultimum, nec tam copiam quæri, quàm bonitatem, cum delectu. Optarim hunc fuiſſe, qui Epictetum, apicem veræ Philoſophiæ, in ſervis habuerit: & ævum conſen-E tit: ſed titulus & munus vitæ diſſentit, cùm iſte Grammaticus fuerit, alter è cuſtodibus corporũ Neronis, eodem Suida prodente. Sed quiſquis iſte, ſuperavit eum Sammonicus Serenus in hoc ſtudio: qui Bibliothecam habuit, in qua ſexaginta duo millia librorum cenſebantur. Is moriens eam reliquit Gordiano minori, qui guſtavit Imperium, Capitolino traditum, cum hoc elogio: quod Gordianum quidem ad cælum tulit, ſiquidem tantæ Bibliothecæ copia & ſplendore donatus, in famam hominum literatorum ore pervenit. Atque hi aut pauci alii proditi ſunt inſigniores Bibliothecas habuiſſe. Plures tamen fuere, & Seneca commune hoc ſtudium jam tunc ſuo ævo oſtendit, & damnat de *Tranq.cap.9.* Non enim in ſtudiũ, inquit, ſed in ſpectaculum comparabant: ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt. Et mox addit: Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationũ, hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus extructa loculamenta. Jam enim inter balnearia & thermas, Bibliotheca quoque, ut neceſſarium domus inſtrumentum, expolitur. F

Obſervare autem hìc eſt de Balneis, & Thermis etiam: ſicut ſuprà notavimus illam Ulpiam in Diocletianis Thermis dicatam: quia corpori curando otioſè tunc vacabant, & occaſio erat legendi aliquid, hominibus aliàs occupatis, vel audiendi. Enim verò etiam in Villis, & Prætoriis paſſim habebant: ab eadem hac otii, & vacationis ibi cauſa. Ad quem morẽ Pauli Icti reſponſum dirigitur: Fundo legato libros quoque, & Bibliothecas, quæ in eodem fundo ſunt, legato contineri. *Plinius* de ſua villa *lib.2.epiſt.17.* Parieti, in Bibliothecæ ſpeciem, armarium inſeritur. Martialis, alterius cujuſdam Julii Martialis, villaticam Bibliothecam commendat, *lib.7.*

Ruris Bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem;
Inter carmina ſanctiora ſiquis
Laſcivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inſeras vel imo,
Septem quos tibi miſimus libellos.

BIBLIOTHECÆ MINUS CELEBRES PRIORIBUS.
Dignæ tamen quæ memorentur. G

Tyrannion, Eſtiei Amyſeni nobilis Grammatici diſcipulus, clarus & dives per doctrinam factus, tria librorum millia poſſedit. *Plut.in Sylla.*

Hadrianus Imperat. & alia Athenienſibus opera exædificavit, & Junonis ac Jovis Panellenii ædem, in qua etiam Bibliothecam fecit, & gymnaſium Adrianum: in quo columnæ centum è Libycis lapidicinis viſebantur. *Pauſan.in Atticis, & Platina.*

C. Plinius Secundus, vir doctiſſimus, & in Repub. ſub Trajano clariſſimus, non Romæ tantùm, verùm etiam Novocomi in municipio ſuo Bibliothecam dedicavit, & annuos ſumptus in alimenta ingenuorum pollicitus erogavit, tertiamque ſalarii partem publico præceptori obtulit. *Ioan.Cataneus in ejus vita.* Eundem poſtea locum Paulus Jovius, Epiſcopus Nucerinus, Bibliotheca nova illuſtravit, & clariſſimorum virorum imaginibus exornavit.

Sammonici Sereni Bibliotheca fuit libris optimis referta, quam Gordiano Juniori teſtamento reliquit diſcipulo: in qua LXII. millia voluminum fuiſſe memorantur: qua Bibliotheca Gordianus in famam hominum literatorum pervenit. H *Iul. Capitolinus.*

Tacitus Imper. Corn. Taciti viri conſularis hiſtoriam de Roman. Imperatoribus non modò in omnibus Bibliothecis juſſit collocari: ſed etiam edicto cavit, ut decies quotannis ad uſum publicum tranſcriberetur, atque in Bibliothecis poneretur. *Flavius Vopiſcus.*

Eccleſiis ſtatim poſt tẽpora Apoſtolorum, paſſim ingruentibus hæreticis, ſummæ curæ fuit, Catholicorum Doctorum ſcripta, & interpretationes Sacrarũ literarum in Bibliothecis (quas in templis habebant) reponere, ut cum ab illis ſemper viva voce erudiri non poſſent, ſaltem literarum monumentis ab iis erudirentur. Itaque Alexander Epiſcop. Hieroſolymitanus celeberrimus ordine 35. nobilem Bibliothecam Hieroſolymis inſtituit, in quam virorum Eccleſiaſticorũ ſcripta repoſuit, Berylli, Hippolyti, Caji, & aliorum; quibus ſe adjutum in ſcribenda Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur *Euſebius lib.6.cap.21.* Is Martyr ſub Decio in carcere obiit.

Cæſareæ Bibliothecam aperuit Julius Africanus Philoſophus, Hiſtoricus, & Theologus ſummus. Quam poſtea plurimum

A mum auxit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, & Pamphilus Laodicenus presbyter, ad XXX. millia voluminum. Pamphilus ſua manu maximam partem librorum Origenis deſcripſit, quos ſe theſauri inſtar colere Euſebius aſſeruit. Hanc D. Hieronymus in rebus difficilioribus conſulere, & ad caſtigatiſſimorum exemplorum veritatem veteris teſtamenti libros emendare ſolebat, ut partim *in Pſalm.1.* partim *in cap.3. Epiſtolæ Pauli ad Titum* fatetur. Eam nonnihil collapſam reſtituere conatus eſt Euzojus Epiſcopus Cæſarienſis, ut auctor eſt *Hieron. in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & Euſeb. lib.3. Iacobus Middendorpius de Academiis.*

Conſtantinus Magnus libros ſacros quàm incorruptiſſimè deſcribi, Eccleſiis proponi publicè, & poſteritati ad æternam memoriam relinqui curavit: quos ſuperiores tyranni ferro, & flammis abolere conati erant; Marcioniſtæ verò hæretici indignis modis adulteraverant: nulla commodiore via Euangelium vel propagari, vel propugnari poſſe, certò ſibi ipſi perſuadens. Extat ea de re epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, cujus exemplum *Euſebius* recitat *lib.4. de* B *vita Conſtantini, & Socrates lib.1.cap.9.*

Lucinius Hiſpanus, cùm D. Hieronymi opuſculorum mirifico deſiderio teneretur, ſex notarios ad eum Bethlehemem miſit, qui omnia ejus opera exſcriberent. *D. Hieron.in ejus Epitaphio.*

Conſtantinopoli ad templum Sophiæ inſtructiſſima bibliotheca erat, quæ decem myriades librorum contineret. Unde in Eccleſiaſticam ſuam hiſtoriam ſe plurima tranſtuliſſe fatetur *Niceph.lib.1.c.1.* Theodoſius Junior Imper. ſacrorum librorum congerendorum tam ſtudioſus fuiſſe legitur, ut ea laude Ptolemæo Ægyptio haud inferior eſſet. Multa ſanctorum Patrum monumenta ſua manu deſcribebat, quæ in Bibliothecam exponeret: ut auctor eſt *Niceph. lib.14.cap.3.* Ex ea Conſtantin. Imp. in ſexta Synodo Oecumenica ſanctorum Patrum libros depromi juſſit, ut controverſia, quam de una tantùm in Chriſto natura Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Macarius Antiochen. inſtituerant, decideretur: *ut Plat. in vita Agathonis primi, & Veſpergenſis in Chronicis* ſcriptum reliquerunt. In eadem urbe in Baſilica Hilarii duplex fuit Bibliotheca, teſte Platina, C & Sabellico *Enn. 8.lib.2.* In ea 120. millia librorum repoſita fuiſſe, & inteſtinum draconis 120. pedum longitudine, in quo aureis literis Homeri Ilias & Odyſſea inſcripta fuerint, *teſtatur Zonaras tom. 3.* Conflagravit ſub Zenone Imperatore.

Antiochiæ, in ſuburbio Daphene dicto, eo in templo, quod Trajano olim dicatum fuerat, nobilis fuit Bibliotheca à Juliano Apoſtata inſtituta. Quam Jovinianus ex inſtigatione uxoris, faſces ſubjicientibus concubinis, incendi juſſit. *Suidas.*

Eſcicius Gregorii Nazianzeni diſcipulus, Bibliothecam Origenis & Pamphili martyris Cæſareæ, longo tempore corruptam, multo labore reſtituit. Obiit ſub Theodoſio. *Bergomenſis lib.9.*

Hipponenſis Bibliothecæ meminit Auguſtinus, & in ea opuſculum Hieronymi de Hæreſibus non reperiri, conqueritur, *in lib.de Hæreticis cap.88.*

Hilarius Epiſc. Rom. duas in Baptiſterio Lateranenſi Bibliothecas fecit: in quibus Gelaſii libros contra Neſtorium, & Eutychen cuſtodiri, teſtatur liber Pontificalis.

D Fercuzio (qui poſt Scotorum regnum in Britannia reſtituit) ex præda Romana, capta urbe ſub Alarico Gotho, obtigit, præter vaſa quædam ſacra, & pretioſam ſupellectilem, arca libraria. Quam is magni theſauri loco ſecum devectam, tandem in Jona inſula ſimul cum hiſtoriis ſuæ gentis collocavit. Eam Bibliothecam Æneas Sylvius Eugenii III. Pp. legatus aditurus fuerat, ſpe Livianæ hiſtoriæ, ſed inani concepta, niſi Jacobi I. regis more turbatis rebus impeditus fuiſſet. *H. Boethius lib.7.*

Carolus Magnus Aquiſgrani in palatio ſuo Bibliothecam maxima copia librorum inſtructam habuit. *Trithemius de Viris illuſtribus.* Sermones Patrum, Homilias ſanctorum, diligenter inquiri & conſcribi juſſit. Et omnium nationum memorabilia geſta, quæ in litteras nondum erant relata, ſcribi mandavit. *Crantz.l.2. Saxonicorum cap.2. & 9.* Per Iſuardum Monachum, in unum volumen hiſtorias martyrum congeri curavit: Eccleſiam D. Jacobi libris ornavit. *Vincentius lib.12.cap.2. & 7. ex Turpino.*

Ludovicus Pius Imper. conventu Aquiſgrani acto, Monachos Sacerdoteſque, libros omnium profeſſionum ſcribere juſſit, ne ſacratis quidem fœminis ab hoc labore liberatis. E Extant paſſim in Bibliothecis cujuſvis generis libri in membranis, quos virgines ſcripſerunt. *Aventinus lib.4. Annalium Bojorum, A. D.*

Anſgarius Epiſcopus Hamburgenſis, ſub Ludovico Pio Imp. Hamburgi Bibliothecam inſtruxit, quam Dani incenderunt. *Crantzius lib.1.cap.33. in Metropoli, & in Saxonia lib.2.cap.28.*

Aquiſgrani Bibliothecam Carolus Magnus moriens juſſit vendi, & pecuniam pauperibus diſtribui. *Trithemius de Viris illuſtribus.*

Egibertus Eboracenſis Archiepiſcopus, nobilium Bibliothecam in gratiam ſtudioſorum inſtituit: unde Albinus libros in Bibliothecam Turonenſem transferri curavit. *Balæus Centuria 2.cap.15.*

Galeacius II. Vicecomes, Franciſci Petrarchæ hortatu magnam Bibliothecam condidit. *Iovius in ejus vita.*

Acca Epiſcopus Hagulſtadenſis in Anglia, hiſtorias Martyrum cum cæteris libris Eccleſiaſticis congregans, ampliſſimam Bibliothecam inſtruxit: obiit anno DCCXL. *Beda lib.* F *5.cap.21. Ang.hiſt.*

Nicolaus V. Pont. Max. Bibliothecam Vaticanam inſtituit, miſſis undique doctis viris comparandorum librorum gratia. *Volat. lib.22. Anthropologiæ, Æneas Sylvius cap.58. Europæ.*

Ex Bibliothecis Italiæ deprompta leguntur exemplaria Græca Athanaſii, Cyrilli, Didymi, Chryſoſtomi, & in primis Baſilii magni, quo tempore ſub Eugenio IV. Florentiæ Concilium habitum eſt, cui Græcorum Imp. Joannes Palæologus interfuit, & Græci cum Latinis de proceſſione Spiritus Sanctus diſputarunt. Latini exemplaria Conſtantinopolim jam olim allata proferebant, ubi legebatur, ab utroque Spiritum Sanctum procedere. Græci exemplaria vitioſa eſt dictitabant. Sua ipſos promere Latini jubebant. Aliquot propoſuere, ſed ea variæ lectionis. Alia à Patre Filioque procedere teſtabantur: alia à Patre, nec prætereà quicquam addebant. Cùm Imp. multa ſe in Græcia ejuſmodi habere diceret, Cardinalis Julianus Cæſarinus: Auguſte, inquit, cùm in certamen ſciret Majeſtas tua ſibi ſuiſque deſcendendum, oportuit arma non domi relicta, ſed in conten- G tionem allata allegare. *Æmil.lib.10.*

Beſſarion Cardinalis Nicenus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus inſignem Bibliothecam, multis libris tam Græcis, quàm Latinis ornatiſſimam, moriens Venetis legavit. Eam illi honeſtiſſimo loco ad D. Marcum repoſuere. Ea propter Marciana vulgò dicitur. Huic præfectus fuit non parvo ſtipendio M. Ant. Sab. *Trithemius in ejus vita.*

Alphonſus Aragonum Rex & Siciliæ, in Bibliotheca extruenda maximè ſolicitus, à Coſmo Medico Florentinorum Principe, quamvis hoſte, Livii Decades dono accepit. Quas cum evolveret, Medicis prohibentibus, ne fortè veneno infectæ eſſent: O ſtulti, reſpondit, an neſcitis, regum animas ſub Dei optimi maximi tutela eſſe? A Venetis brachium ex reliquiis Titi Livii, ſummi muneris inſtar obtinuit: cujus rei teſtimonium Patavii in curia etiamnum hodie extat. Cùm arcem Neapolitanam inſtaurare decreviſſet, Vitruvii de Architectura librum afferri adſe juſſit. Verùm cùm ſine ornatu, ſineque aſſeribus allatus eſſet: Non decere, inquit, hunc potiſſimum librum, qui nos, quomodo contegamur, tam bellè doceat, detectum incedere. Librum igitur egregiè ad uſum parari mandavit, & omnibus H ſemper ædificiis adhibuit. *Panorm.lib.1.* Idem, cùm aliquando de jactura rerum precioſarum ſermo haberetur, perſanctè affirmaſſe dicitur, Malle ſe gemmas, uniones, margaritas ſuas, quæ quidem eſſent in toto orbe celeberrimæ, & precioſiſſimæ, quàm libros qualeſcunque perditum iri. *Panorm. lib.4.de Rebus geſtis Alphonſi.*

Coſmus Medices aliorum, at Laurentius ex filio Petro nepos etiam ſui ipſius cauſa optimarum artium ſtudioſus, locupletiſſimam ſibi Bibliothecam comparavit. Inter eos, quorum opera in ea inſtruenda utebatur, Joannem Laſcarem Byzantinum, hominem doctum magnæque nobilitatis, regiis muneribus donavit. *Brut.lib.3.Flor.hiſtor.*

Matthias Corvinus Rex Hungariæ, Budæ Bibliothecam magnificam, & locupletem inſtruxit: dignus profectò, cujus virtutes Homeri carmine decantarentur. Capta Buda, à Turcis diſſipata eſt.

Joannes Picus Mirandula, eruditiſſimus vir, ſeptem in comparandis libris aureorum numum millia expoſuit. *Guido.*

A Franciſcus I. Galliæ rex, non minùs literis, quàm armis clarus, Pariſiis apud S. Victorem, & in arce Fontanablio bibliothecis inſtituit, quas conquiſitis undique ex media Græcia & Arabia libris illuſtrare ſtuduit. Gulielmus certè Poſtellus, Barentorius, Mathematum olim regius profeſſor Lutetiæ, dum vitæ in melius mutandæ cauſa ex aula recedens, Apoſtolicam vitæ profeſſionem iniret, ſex millia aureorum Francicorum, quos in eam rem rex deſtinaverat, accipere recuſavit. Poſtea Venetias profectus, non multò poſt in Orientem abiit, & ex Arabum bibliothecis Europæ noſtræ antea incognita reportavit ſpolia: quæ tamen variis direptionibus expoſita fuere.

Fridericus Feltrius, dux Urbini, celeberrimam inſtituit bibliothecam, quam poſtea Guido ejus F. omnis doctrinæ decus, ac doctiſſimorum hominum præſidium, cùm auro & argento, tum librorum copia adauxit ornavitque. *Polyd. lib. 1. cap. 7. de Rerum invent.*

Fuggeri noſtra ætate inter reliquas magnificentiæ laudes hanc primam habuere, quòd non modò (ut multi) in optimorum auctorum voluminibus maximo ſumptu undique B conquirendis laborarunt, verùm etiam ſumma liberalitate in Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem eoſdem typis excudi curaverunt: qui ut opibus à pleriſque Germaniæ noſtræ principibus vincuntur, ſic opum uſu, longo pleroſque intervallo poſt ſe relinquunt. Joannis certè Jacobi Fuggeri hac in re regius propè fuit animus: par ferè Huldrici Fuggeri, niſi Alecto quædam Muſis inimica præclaris illorum conatibus ærarias, ut ita dicam, injeciſſet pedicas.

* Inſignem quoque Bibliothecam inſtruxit in arce ſua Bredenberga vir illuſtris Henricus Ranzovius, ut in qua ſex millia & trecenti libri variorum argumentorum, & authorum reponuntur, præter æneas tabulas diverſi generis, ſtatuas marmoreas, globos, mappas Geographicas, aſtrolabia, Horologia, & alia id genus Mathematica inſtrumenta. Extat de eadem hoc carmen Dethlevi Sylvii, totius Bibliothecæ ordinem, & ſeriem oculis ſubjiciens:

Quam Bredeberga tenet, meritò celebratur ubique
Laudibus, à doctis Bibliotheca viris;
Tam variis etenim, totque eſt inſtructa libellis,
Vt non huic habeat Cimbrica tota parem.
C *Prima ſacris libris claſſis ſpatioſa dicata eſt,*
Qui noſtræ tradunt Religionis opus.
Hinc ſequitur legum Iuriſprudentia cultrix,
Hæc eſt juſtitiæ fida miniſtra ſacræ.
Tertia ſed claſſis Medicinæ tota tributa eſt,
Qua viget humani corporis ipſa ſalus.
Vendicat hinc quartam claſſem ſibi docta Matheſis:
Inde ſacros vates, Hiſtoricoſque vides.
Bis ter mille libris conſtat, libriſque trecentis,
Vilibus exceptis, quos numerare grave eſt.
Dii faxint ſuperi, multos ſit ſalva per annos,
Et maneat ſeræ poſteritatis opus.

Auguſtana Reſp. ne hoc etiam virtutis genere à ſuis civibus ſuperaretur, literarii theſauri congerendi magnam habuit habetque curam, atque adeò Hier. VVolfium Octingenſem, virum in utraque lingua verſatum, ſuæ præfecit bibliothecæ.

Joannes Capinon Pforcenſis, cùm aliquando Eberardi Barbari principis VVirthenbergenſis nomine ad Cæſarē Fridericum III. cum aliis legatus veniſſet, & reliquis ſplendida lantia, ut vocant, nimirùm aut equi pulcherrimè inſtrati, aut D aureæ phialæ, & reliqua id genus dona donarentur; hic Capnion antiquiſſima quædam, & benè deſcripta Biblia Hebraica, quàm vel immenſum auri pondus à Cæſare accipere maluit. *Braſſicanus in præfatione in Salviatum.*

In arcis Polottæ expugnatione à Polonis facta, non minori in pretio, quàm reliqua præda, Bibliotheca inventa apud homines literatos habebatur. Erant in ea præter annalium libros, plerique Doctores Eccleſiaſtici Græci, ac in iis Dionyſii Areopagitæ de Hierarchia cœleſti, & Eccleſiaſtica libri Slavica omnes lingua: quorum pleroſque à Methodio, & Conſtantino in eam linguam à Græca traductos, ipſorum annales tradunt; in Eccleſiaſticis enim inſtitutis à cæteris ferè ejuſdem etiam ritus Gentibus, hoc vel maximè Moſchi differunt, quòd conciones apud populum, quibus is erudiatur, à Sacerdotibus nullas haberi patiūtur, ſed quæ à veteribus Doctoribus Græcis tradita ſunt, in ſuam linguam hanc ob cauſam traducta, ſtudioſèque conquiſita, è ſcripto publicè pronunciant; ſeu quòd homines nullis literis eruditi ſuo ingenio minùs confidant; ſeu verò, quod propius vero videtur, ne pro curioſitate ingenii humani, nova inveniendi, ſtudio ab antiquitate ac veritate recedatur. *Rein. Heidenſtenus lib. 2. bell. Moſchov.* E

Sixtus V. Pont. Max. anno 1588. magnificentiſſimam, & qualis ab orbe condito non eſt viſa, Bibliothecam in Vaticano, in loco, quem Belvedere vocant, ædificavit. In cujus uſum, antiquum, quod illic viſebatur, theatrum convertit. Fabrica ipſius Bibliothecæ per ſe & longiſſima, & latiſſima eſt: intùs & foris artificioſiſſimè depicta. Foris imagines omnium ſcientiarum, omniumque penè virtutum, cum iis quæ ad ſtudia bonarum literarum pertinent, ſpectantur. Intùs præcipua opera atque ſtudia ipſius Sixti ab uno latere, ab altero ſexdecim præcipua Eccleſiæ concilia cum ſuis inſcriptionibus cernuntur. Ab altera parte depictæ ſunt omnes, quarum apud Latinos, Græcos, Hebræos, Ægyptios, & Caldæos eſt memoria, Bibliothecæ, cum ſuis ſimiliter inſcriptionibus. Parte ex oppoſita, effigies omnium eorum, qui apud quamcumque nationem vel literas, vel artes, vel ſcientias aliquas invenerunt, delineari Pontifex juſſit. In hanc fabricam omnes libros, qui in Vaticano erant, inferri mandavit, numerumque multis (ſi qui deſiderabantur) novis auxit. F

Cur verò Baſilienſis Gymnaſii Bibliothecæ hìc obliviſcar? Quæ uti ex multorum Cœnobiorum Bibliothecis, quas Reformati Euangelii Pietas cum ipſis cœnobiis crudeliter occupavit, pulſis eorumdem poſſeſſoribus, conflata eſt; ita quotidie liberalitate Typographorum maxima capit incrementa. Debet ſanè hoc ipſum munificentiæ alienæ additamentum Jo. Oporino, qui primus auctorum, quoſcunque excuderet, exemplū unum Academiæ obtulit, & collegis reliquis ſua imitatione in publicum conferendi auctor fuit.

* Philippus II. Hiſpaniarum, Indiarumque Rex, etiam hic laude ſua non caret, ut qui inter alia potentiæ ſuæ documenta, quæ in celeberrimo illo Eſcurialis Palatii cœnobio exhibuit, etiam Bibliothecam ibidem inſtituit, & librorum ſupellectile inſtruxit verè Regia, ut neſcias, an parem in Regno illo reperias librorum theſaurum. In quo tamen noſtra ætate plures libri ex omnibus locis miſſi diſtrahuntur, quàm in cæteris Chriſtiani orbis.

* Carolus Borromæus Card. nuper Divorum catalogo adſcriptus, quantus vir! etiam in hac cura totus fuit, ut Mediolanum, memorabili non ſolùm Athenæo, in quo viri docti G præmio, & liberalitate allecti deſudarent, & quiſque in id incumberet, in quod natura & ingenio maximè propenderet: ſed & ſæculorum laude digna Bibliotheca adornaret, in quam exquiſita librorum quorumvis volumina tranſtulit, & typographejo auxit, quo collapſa vetuſtate exemplaria recuderentur, & lucubrationes, quas eruditum illud Athenæum depromit in dies, in publicum prodirent. Quod ſanè egregium ſtudium Fredericus Borromæus defuncti nepos, uti nominis, ac honoris, ita & virtutum hæres, magna liberalitate proſequitur, eaque in negotio eruditionis molitur, quæ ſera poſteritas ſtupeſcat.

* Noſtra ætate Abrahamus Ortelius, coſmographus celebris, Antverpiæ inſignem Bibliothecam inſtruxerat, non tam librorum copia, quam nummorum ac Numiſmatū inſigniorum, rerumque exquiſitarū, & quæ alio ex orbe advecta, ornamētis decoratam. Ad quam viſendam, ut nihil dicamus de viri, optimè de literaria Republica meriti, comitate, modeſtia, longoq; rerum uſu, exteri quivis dum ad urbem hanc urbiū cæterarum ocellum confluere ſolent, ſtudioſè identidem accurrebant, rei novitate, & videndorum raritate impulſi. H

* Cæterùm eadem in urbe nuper Bibliothecæ Publicæ prima fundamenta jacta ſunt: in eum finem plurimorum liberalitas ſe effundit, qui inſigniora volumina conferre cœperunt. Quoque incrementum amplius ſumat, edicto ſereniſſ. Principum Belgii, omnibus Typographis, qui hìc plures & ſeduli, injunctum, ut omnium librorum quos evulgarent, unicum exemplar huic Bibliothecæ ſuppeditarent. Atque exhinc ſperatur docta illa ſupellex temporum ſucceſſione, eaque collatione mirum in modum augenda, non exiguo Reipublicæ ornamento.

BIBLIOTHECARUM CURATORES.

Videlicet *Bibliothecarii, Bibliothecis præfecti.*

Demetrius Phalereus, a Ptolemæo Philadelpho Alexandrinæ Bibliothecæ præfectus, regi auctor fuit ſacros libros Judæorum in Græcam linguam per LXXII. interpretes transferendi. *Ioſeph. lib. 14. Antiq. c. 2.*

Apollonius Alexandrinus, Sillei filius, poeta Epicus Rhodi commoratus, Callimachi diſcipulus, æqualis Eratoſthenis, & Euphorionis, & Timarchi, ſub Ptolemæo cognomento

Ever-

A Evergeta, ſucceſſor Eratoſthenis in Alexandrinæ Bibliothecæ curatione. *Suidas.*

Ariſtoxenus Comicus vixit Ptolemæo Philadelpho regnante, & ſucceſſore ejus Philopatore. Ac poſt Apollonium regiæ Bibliothecæ præfuit, annum agens LXIV. Cum autem res ſuas compoſuiſſet, tanquam ad Eumenem ſe recepturus, in carcere ad tempus eſt cuſtoditus, ſed dimiſſus, ex ſtranguria deceſſit, anno ætatis LXXVII. Scripta ejus permulta ſunt. *Suidas.*

Zenodotus Epheſius, criticus, inſignis poeta, Philadelphi Bibliothecæ præfuit, ejuſque filios inſtituit. Primus Homeri libros in ordinem redegit. *Gyraldus Dial. 3. hiſt. poet.*

Euphorion Polymneti F. Chalcidicus, poeta elegiographus, in Syria apud Antiochum Magnum regem Bibliothecæ præfectus fuit, & Antiochiæ vel Apameæ ſepultus eſt. Claruit MCCL. Olympiade. *Idem ex Suida.*

C. Meliſſus Umber, ex Spoleto, Mecœnati dono datus, & ab eo manumiſſus, Mecœnas Meliſſus dictus eſt: & tandem Auguſto inſinuatus, ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu curam ſuſcepit. *Gyraldus.*

B Palatinæ apud Romanos Bibliothecæ C. Jul. Cæſar præfecit M. Varronem: ejuſque imaginem adhuc viventis ibi collocari voluit, ut Græcos, & Latinos codices in ordinem digereret. Quam poſtea Provinciam Cæſar Auguſtus, mortuo Lepido deſignatus Pōtifex, ſuſcepit: qui inter libros, præcipuè fatidicos, utriuſque linguæ delectum acerrimum habuit: & eorum, qui minùs probarentur, duo millia combuſſit: ſolos Sibyllinos quoſdam retinuit, quos in duobus deauratis forulis ſub Palatini Apollinis baſi recondidit. *Suet. & Livius.*

C. Jul. Hyginus, Auguſti libertus, Palatinæ Bibliothecæ præfuit. *Vide Tit. Grammaticorum.*

Albinus Flaccus Eboracenſi Bibliothecæ in Anglia primus præfuit. Poſtea Caroli Magni præceptor factus eſt. *Balæus.*

Petrus Diaconus Bibliothecarius Caſſinenſis. *Vide Titul. Monachorum ſeculi duodecimi.*

Gregorius II. Pp. ſub Sergio Papa fuit cuſtos Bibliothecæ Romanæ. *Liber. Pontificalis.*

Bab. Platina, vir ſuo tempore doctiſſimus, à Sixto IV. Bibliothecæ præfectus fuit Vaticanæ. Cui Bartholomæus Ariſtophilius ſucceſſit.

C M. Antonius Sabellicus annuo ſtipendio Bibliothecæ D. Marci Venetiis præfectus fuit.

*ORNATUS BIBLIOTHECARUM, EBORE ET VITRO. ARMARIA, ET FORULI, ET PLUTEI, ET CUNEI.

Scribit de illo ornatu *Iſidorus*: Peritiores architectos neq; aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putaſſe, neque pavimenta alia, quàm è Caryſtio marmore: Quòd auri fulgor hebetet, & Cariſtii viriditas reficiat oculos. *Boet.* hoc amplius *in Conſolatione* ſuggerit, cōptos ebore, & vitro parietes fuiſſe. Quid, parietes laterales? non Armaria aut Plutei ad parietes (neq; n. conſpicuus ſic ille ornatus fuiſſet) ſed in medio diſpoſita, ut hodie quoq; publicæ ferè Bibliothecæ uſurpant. Sanè Vitra olim in quadras, orbes, ova, aut rhombos diſtincta parietes ornabant, non aliter quàm marmoreæ cruſtæ: ſæpiùs tamen cameras, & lacunar: Ita enim *Plin. l. 36.* Pulſa ex humo pavimenta in cameras tranſiere, è vitro: novitium eſt hoc inventum. Novitium ita, ut tamen eſſet Neronis, & Senecæ ævo: Nam ut de re vulgata *Seneca, epiſt. 86. de Balneis*: Niſi vitro abſconditur camera: atque ibi me vides. Tamen in parietibus etiam fuiſſe præter Boetium, *Vobiſcus* oſtendit, in D *Firmo*: Nam & vitreis quadraturis bitumine, aliiſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur. Bitumen autem hic ad committendum nectendumque parieti accipio inſertum, non ad ipſas quadras jungendas: quas decorè magis ebur (ut in Boetio) diſtinxit.

Atque id etiam in Armariis ipſis fuit: unde Eborea Bibliotheca in Pandectis legum; & in *Senec. de Tranq. c. 9.* Armaria cedro atque ebore aptantur. Armaria autem fuiſſe in Bibliothecis, res & hodierna uſitatio demōſtrant: ſed addo, numeris ſuis diſtincta. Ita *Vopiſcus*: Habet Bibliotheca Ulpia in Armario ſexto librum Elephantinum. Elephantinum, an ex Ebore, an in corio Elephanti perſcriptum? Vetus Scholiaſtes *Iuvenalis* in illud: (Hic libros dabit, & forulos) Armaria, inquit, Bibliothecam. Etſi propriè, opinor, Foruli, ipſi nidi, ut cum Martiale dicam, librorum; ſive cum Seneca diſtincta loculamenta. *Sidonius*, & hæc, & alia in Bibliothecis collocat *l. 11. Epiſt. 9.* Hìc libri affatim in promptu, ut videre te crederes aut Grammaticales Pluteos, aut Athenæi Cuneos, aut Armaria extructa Bibliopolarum.

Pluteos, id eſt tabulas inclinatas tranſverſim, quibus libri legendi imponerentur: Cuneos, ſcamnorum ſeriem, ut in E Athenæo, ſic digeſtam: Armaria autem plena & alta, quæ dixit. Lapegmata *Cic. lib. 1.* ad Atticum videtur appellaſſe.

*IMAGINES IN IIS DOCTORUM, LAUDABILI MORE, CUI ORIGO AB ASINIO.

Sed vel præcipuus ornatus, & imitandus meo judicio, vix hodie imitatus, ſunt Imagines ſive Statuæ doctorum, quas unà cum libris diſponebant. Nonne pulchrum, & ſuave oculis ac cogitationi fuit? Natura trahimur ad ſimulachra, & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora, ſive hoſpitia, quibus cæleſtis ſe animus incluſit: ecce hic erat. Homeri Hipp. Ariſtotelis, Pindari, Virgilii, Ciceronis, & alia ſcripta videres aut libares oculis; unà etiam imagine ſcriptoris adjuncta. Romanum hoc inventum videtur, ne omnia bella ad Græciam referantur: & *Plin.* inclinat. *l. 35. c. 11.* Nullū majus (inquit pulcherrima gnoma) felicitatis ſpecimen arbitror, quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis. Aſinii Pollionis hoc Romæ inventū: qui primus Bibliothecā dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ, & Pergami Reges, qui Bibliothecas magno certamine inſtituere, non facilè dixerim. Itaq; Aſinius F videtur auctor, qui etiam (*eod. Plin.* prodente *l. 7. c. 30.*) M. Varronis, in Bliotheca, quæ prima in urbe (abſurdè in orbe alii) publicata eſt, unius viventis poſuit imaginem. Quod tamen & aliis poſteà, indulgentia, an judicio, datum video, & nominatim Martiali poetæ, qui gloriatur, *Præfat. l. 9.* quòd Stertinius imaginem ejus ponere in Bibliotheca ſua voluerit. Sed plerunque mortuorum, & quos famæ conſenſus jam ſacraſſet. *Plin. l. 35. c. 11.* Non eſt prætereundum & novitium inventum, ſiquidem non ſolùm ex auro argentove, aut certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis loquuntur; quinimò etiam quæ non ſunt, finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus. Appellat novitium, id eſt, Pollionis inventum: oſtendit mortuorum, & è metallo plurimùm fuiſſe: ſed addo etiam è gypſo in privatis (pro cujuſque ſcilicet copia) Bibliothecis. *Iuven.*

—— quanquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenias.

Imò & in tabulis, opinor, imagines fuere: & fortaſſe in libro- G rum fronte pictura etiam expreſſæ. *Seneca de Tranquill.* Iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum. *Suet. in Tiberio c. 70.* Scripta eorum & imagines publicis Bibliothecis inter veteres & receptos auctores dedicavit. *Plin. in Epiſt.* Herennius Severus, vir doctiſſimus, magni æſtimat in Bibliotheca ſua ponere imagines Cornelii Nepotis, & Titi Attici. Itaq; utrumque, & Statuæ & Imagines fuere. *Plin. idem* de Silio Italico: Plures iiſdem in locis villas poſſidebat, multum ubiq; librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum: quas non habebat modò, verùm etiam venerabatur, Virgilii ante omnes. *Vopiſcus* de Numeriano: Hujus oratio tantum habuiſſe fertur eloquentiæ, ut illi ſtatua, non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliotheca Ulpia, cui ſubſcriptum eſt: NUMERIANO. CÆSARI. ORATORI. TEMPORIBUS. SUIS. POTENTISSIMO. Sed & *Sidonius* ſibi ibidem poſitam, jure gloriatur:

Cùm meis poni ſtatuam perennem,
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriuſque fixam
Bibliothecæ.

Significat, & in Græca Latina Bibliotheca ſtatuam ſe habuiſſe. Cæterùm minores illæ imagines, ſive ſtatuæ, Pluteis H plerūque impoſitæ videntur, ante ſuos quæq; libros. *Juvenalis,*

Et jubet archetypos Pluteum ſervare Cleanthas.

Veteris diſtichi ea mens, quod imagini tali Virgilianæ ſubſcriptum fuit;

Lucis damna nihil tanti novere poetæ,
Quem præſentat honos carminis, & Plutei.

Significat, videri vivere, qui in libris & imagine vivit. Inde & *Sigilla Putealia* apud Ciceronem ad Atticum. Nam jam tunc Bibliothecas exornabant Deorum, ſi non auctorum ſigillis.

**In occaſione de* MUSEO ALEXANDRINO, *docti viri ibi habiti atq; alti in publicum bonum. Reges aut Imperatores ei curabant.*

Et plura equidem ſuper Bibliothecis, quæ ἀξιόλογα ſint, non habemus: unum etiam, quod ad earū fructum. Nā ſi ſolæ eæ, aut rarus advētor, ſi homines, inquā non ſunt, qui frequētent & evolvant: quò iſta cōgeries? & quid niſi ſtudioſa quædā luxuria ſint, ut Seneca appellat? Providerunt hoc quoq; Alexandrini Reges: & unà cum illis Muſæū (ita dixerunt, quaſi Muſarum ædem) extruxerunt, in quo fas eſſet Muſis operari, à cæteris rebus feriatos; imò & à vitæ victuſq; curis vacuos, cū ali-

A alimenta iis hìc è publico darentur. Præclarum inſtitutum! quod unus *Strabo* optimè deſcribit *l.* 17. Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ τὸ Μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ Καίσαρος. Pars etiam Regiæ eſt Muſeum, quod ambulationi & ſeſſui loca habet, & magnam unam domum, in qua convivunt, & comedunt unà, qui Muſei conſortes ſunt, literati viri. Habet autem hoc collegium, & pecuniam ſive vectigalia in commune, & Sacerdotem item qui Muſeo præeſt, olim à Regibus, nunc à Cæſare conſtituendum. Primùm, ait, Regiæ ſive aulæ partem fuiſſe. Scilicet adnecti ſibi & jungi voluerunt Reges, ut in propinquo, & promptu eſſent eruditi, cum quibus diſſererent, cùm libitum, animo docendo, & paſcendo. Habuit Porticus & Exedras: illas exercitio corporis magis; has animi, & ubi conſidentes altercarentur, & conferrent. Fit & domus, ubi communis iis victus, & menſa: quod ſic etiam *Philoſtratus* expreſſit de *Dionyſio in vita*, quem in Muſeum receptum ſcribit, additque: B Τὸ δὲ Μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. Muſeum autem eſt Ægyptia menſa, quæ convocat omnes in univerſa terra literatos. Verba penſitari cupio omnes ex omni terra: & viden' numerum, nec rem tenuem, & parvi impendii fuiſſe? Quod & *Tim, Syllographus* indicat, etſi more & inſtituto ſuo carpens:

> Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
> Βιβλιακοὶ χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες,
> Μουσέων ἐν ταλάρῳ.
> *Permulti paſcuntur in Ægypto pupuloſa*
> *Pugnantes libris, ac ſemper digladiantes*
> *Muſarum in cavea.*

Nam explicante Athenæo, τὸ Μουσεῖον τάλαρόν τινα φησὶν, ὑποσκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτοῦνται καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες. Muſeum dixit Caveam, irridens Philoſophos, qui in eo alebantur, velut pretioſæ quædam aves. Iſte philoſophos nominat, ſed Strabo universè ἐλλογίμους ἄνδρας dixit literatos doctoſque viros: & omne genus haud dubiè receptum. Sed viros ait: non ergo pueros, aut juvenes, & qui velut in ſpem ſtudiorum C (hodie ſolitum) educarentur. Non quin iſtud velut præmium eruditis, & quies quædam honeſta fuit, haud aliter quàm Athenis benè de Rep. meritis victus erat in Prytaneo. Sed pergit Strabo, & Sacerdotem præficit, Regum aut Cæſarum delectu. Magna igitur dignitas, & quæ ab ipſo Cæſare conferenda. Sed quid, quòd ipſa ibi loca idem Cæſar adſignaret? Ita enim *Philoſtratus, de Dionyſ. Sophiſta:* Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν, κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ Μουσείῳ σιτουμένοις. Hadrianus Imp. Satrapam ſive Præfectum eum conſtituit non exiguarũ gentium: & adſcripſit inter eos, qui publicè equo veherentur: itemque qui in Muſeo alerentur. Iterum, de Polemone: Κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ Μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγύπτιον σίτησιν. Allegit eum (Hadrianus) & Muſei conventui, ad Ægyptiam menſam. Sed notant ibi vocē κύκλῳ, circulo (etſi Juſtus Lipſius conventui reddidit) qua ſignificari arbitrantur, in orbem rem fuiſſe, & quoſdam allectos tempeſtivè, & in anteceſſum, id eſt priuſquam locus vacuus etiam eſſet. Sed ſpes ſuſtentabat, & ordine ſuccedebant, qui ſic adſcripti: ut hodie in beneficiorum collatione principes quidam uſurpant. D *Athenæus* denique *lib.* 5. hujus donationis à Principe etiam meminit; ubi ait, Pancratem quemdam poetam, ingenioſè Hadriano adulatum de Antinoo ſuo: atq; ille, inquit, ἡσθεὶς τῇ εὑρέσει, τὴν ἐν Μουσείῳ σίτησιν αὐτῷ ἔχειν ἐχαρίσατο, delectatus inventiuncula, cibum in Muſeo illi gratificatus eſt. Atque hæc Strabo aliique ſuper loco & inſtituto: licet addere, non vacuam omninò aut otioſam ibi vitam vixiſſe (qui poſſent viri bono publico nati) ſed aut ſcripſiſſe, aut diſſeruiſſe, & recitaſſe. Ita *Spartianus* tradit, Hadrianum Alexandriæ in Muſeo multas quæſtiones Profeſſoribus propoſuiſſe, aut propoſitas diſſolviſſe. Adde Suetonium in Claudio: qui & Muſeum hoc altero addito adauxit, ut certi libri ibi quotannis recitarentur. *Huc refer ea quæ de Carolo Borromæo ſupra dicta ſunt, & Abrahamo Ortelio.*

*INSCRIPTIONES.

Clemens VII. Pont. Florentiæ Bibliothecam Medicam auxit, & infinitis voluminibus locupletavit, cujus etiam & mnemoſynon in ipſo ingreſſu legitur in hunc modum. Deo & præſidibus familiæ D. Clem. VII. Pont. M. libris opt. ſtudio major, ex ſuo undique conquiſitis, bibliothecam ad ornamentum patriæ civiumque ſuorum utilitatem D.D. E

Eandem autem Coſm. Medices Tuſcorum magnus Dux perficiendam curavit, Ann. Dom. M.D.LXXI. 3. Id. Julii. Luſit autem quidam hoc epigrammate de eodem opere, quod ibidem etiam conſpicitur:

> *Coſmus in has ædes meliora volumina* Κόσμου
> *Tranſtulit, & primas quas habet orbis opes.*
> *Sic genuit tandem ſterili de nomine Coſmus*
> *Rem ſibi tum mundo, cælitibuſque parem.*

Adornavit etiam nobilem Bibliothecam Henricus Ranzovius, cujus ante meminimus; quam illuſtri librorum ſupellectile inſtruxit, & de ea perpetuum hoc decretum vulgavit. Quæ infra ſcripta ſunt, hunc in modum ſancita ſunto: inviolatèque obſervantor. Ranzovii, nec alius quiſquam, hanc poſſidento. Hæredes eam non dividunto. Nemini libros, codices, picturas, ex ea auferendi, extrahendi, aliòque exportandi, niſi licentia poſſeſſoris, facultas eſto. Si quis ſecus fecerit, libros, partemque abſtulerit, extraxerit, clepſerit, rapſerit, concerpſerit, corruperit, dolo malo; illicò maledictus, perpetuò execrabilis, ſemper deteſtabilis, eſto, maneto.

Illuſtrem quoque, & locupletem Bibliothecam poſteritati F reliquit, ad urbis ſuæ ſplendorem, Dux quidam Urbinatium, ad cujus ingreſſum hi verſus leguntur:

> *Sint tibi divitiæ, ſint aurea vaſa, talenta*
> *Plurima, ſervorum turbæ, gemmæque nitentes:*
> *Id totum hæc longè ſuperat præclara ſupellex.*
> *Sint aurati etiam niveo de marmore poſtes,*
> *Et variis placeant penetralia picta figuris:*
> *Sint quoque Trojanis circundata mœnia pannis,*
> *Et miro flagrent viridaria culta decore,*
> *Extra intraque domus regali fulgida luxu:*
> *Res equidem mutæ: ſed Bibliotheca pacata*
> *Juſſa loqui, facunda nimis; vel juſſa tacere,*
> *Eſt prodeſſe potens, & delectare legentem.*
> *Tempora & ipſa docet, venturaque plurima pandit,*
> *Explicat & cunctos cæli terræque labores.*

BIBLIOTHECÆ DIRUTÆ.

☞ *Bibliothecæ vaſtantur, & diſſipantur, vel conſilio, vel caſu Conſilio, eoque malo, ab imperitis, & malè feriatis hominibus, qui eodem ſunt erga libros, doctorum liberos, animo, quo erga doctos ipſos: quos vel ſtupiditate quadam tanquam inutiles damnant,* G *vel invidia, tanquam ſuis obſtruentes luminibus, oderunt. Caſu verò pereunt in vaſtationibus, incendiis, illuvionibus, tum publicis, tum privatis.*

C. Caligula cogitavit de Homeri carminibus abolendis, & parũ abfuit, quin Virgilii, & Titi Livii ſcripta, ſimul & imagines ex omnibus Bibliothecis amoverit: quorum alterũ ut nullius ingenii minimæq; doctrinæ, alterum ut verboſũ in hiſtoria, negligentemq; carpebat. Senecam etiam tunc maximè placentem, arenam eſſe ſine calce dicebat. De Juriſconſultis, quaſi eorum ſcientiæ omnem uſum aboliturus, ſæpè jactavit, effecturũ ſeſe, ne quid præter æquũ reſpondere poſſint. *Suet.*

Germani, cùm Athenas, Galieno imperante, cepiſſent, ingētem librorũ acervũ in foro cumularunt igne exurēdũ. At quidam prohibuit: Dimittamus (inquit) libros Græcis, quibus dũ incumbunt, imbelles fiunt. *Avent. lib. 2. Annal. Bojorum A.D.*

Hildesheimenſes Epiſcopi, ut ferè omnes Germaniæ Pōtifices, aliquando armis quàm libris congerendis, & verſandis ſtudioſiores, Bibliothecas penitùs neglexere. Joannes Dominicanus Theologus ordine XXXVII. Epiſcopus creatus, de Bibliotheca interrogans, cùm aulici armarium oſtendiſſent, H & libris quidem comparari, armis verò conſervari Epiſcopatum arroganter protuliſſent: dignitati renunciavit, & ad conſueta rediit ſtudia. Non multò poſt tamen Auguſtanus deſignatus eſt Epiſcopus. *Bruſchius in Epiſc. Germaniæ.*

Jovinianus Imp. factus, ubi ex Perſia Antiochiàm venit, ab uxore ſua incitatus, ædem elegantiſſimam in ſuburbio Daphne ab Adriano Imperatore ad conſecrationem Trajani patris conditam, & à Juliano Bibliothecam deſignatam, cũ omnibus libris cremavit, ipſis concubinis cum riſu pyrā incendētibus Antiocheni famoſos libellos partim humi abjiciebant, ut quivis tolleret, ac legeret: partim parietibus affigebant. *Suidas.*

☞ *Huc refer nonnulla ex iis quæ paulò ante de Alexandrina Bibliotheca dicta ſunt. Vide Tit. Inſcriptionum, ubi etiam pleræque Bibliothecarum Inſcriptiones. Item Titulum de Libris, eorumque delectu.*

*IN BIBLIOTHECA SEPULTI.

Ferrariæ in cœnobio Dominicanorum, ſupra oſtium Bibliothecæ, talis legitur inſcriptio, index tumuli Cælii Calcagnii, qui ibidem voluit ſepeliri.

A EXEUNTIBUS.

Cùm Cælius Calcagnius nihil magis optaverit, quàm de omnibus pro fortunæ captu benè mereri: decedens Bibliothecam, in qua multò maximam ætatis partem egit, in ſuorum civium gratiam publicavit, & in ea ſe condi mandavit.

---

* Bilis.

Ut eſt humor quidam humani corporis.

EJUS QUALITAS, DIVISIO, &c.

DUplicem Bilem in humanis corporibus Medici agnoſcunt, quarum hanc Atram, illam Flavam appellant quarum utraque non fruſtra, vel ſine magna utilitate, à natura corporibus noſtris indita: adverſatur enim flava bilis phlegmati, & atra, quam melancholiam dicimus, ſanguineo humori; & faciunt, ne hic aut illa nimiùm prædominentur, & ultra modum corpus afficiant.

Deinde utraque bilis ſanguine immixta exigua quantitate, nutrit, imò nonnunquam in ſanguinem mutatur. Melancholia autem quæ acerbi eſt ſaporis, cum è liene in os ventriculi influit, quod non rarò facit, famem provocat haud B ſecus, atque acidi cibi appetitionem edendi acuunt. Idem facit flava quandoque bilis: quando ſcilicet è veſicula, qua continetur, per venulam quandam ſubiens, ſe ventriculo quaſi ſupponit, ipſumque calefaciens concoctionem adjuvat. Et dilabens ad inteſtina ſua mordacitate, celeriorem ejectionem excrementorum provocat.

Sed mores faciunt utraque bilis. Flava enim animoſiorem reddit, & ad pericula intrepidum; unde movere bilem dicimur, dum aliquem ad iram provocamus: at nigra ſive atra maturitatem adducit, & ad tardè judicium ferendum inclinat.

Unde illud temperamentum ad acumen ingenii mentiſque perſpicacitatem accommodatius eſſe, ſentiunt Philoſophi, quod ex bilis & melancholiæ permiſtione conſtat, ut docet Ariſtoteles, & poſt eum plures, *lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 8.*

Scripſerunt de bilis utriuſque utilitate, & natura, *Gal. lib. 1. de alim. facien. cap. 1. M. Alber. lib. 3. de anima tract. 2. cap. 3. Veſalius lib. 5. c. 8. Averroes lib. 4. de part. anim. cap. 2.*

C

Bitumen.

QUID, ET UBI?

ASphaltis lacus in media Idumeæ ſatrapia, in longitudinem patens ſtadia maximè quingenta, in latitudinem circiter ſexaginta, aquam habet amaram, & ſupra modum fœtidam, ita ut neque piſcem alere poſſit, neque aliud animal aquatile. Cumque in eum magna flumina dulcedine præſtantia influant, ea fœtore vincit. Ex ejus medio exhalat quotannis bituminis ſolidi moles, quandoque major tribus jugeris, interdum non multò minor jugero. Quam ob cauſam incolæ Barbari majorem vulgò vocant taurum, minorem vitulum: cumque natet bitumen procul in aqua, fit, ut procul ſpectantibus ſpeciem præbeat inſulæ. Fit autem manifeſta bituminis excretio ante viginti dies. Nam circum lacum in multa ſtadia fertur odor bituminis tetri venti, ac quidquid circa eum locum argenti, & auri, & æris eſt, amittit naturam coloris. Verùm ea in priſtinum ſtatum redit, poſtquam omne bitumen efflatum eſt. Vicinus autem locus cùm ſit ardens, & putidus, facit corpora finitimorum valetudinaria, & omninò vitæ brevis. Excretum autem bitumen, qui ex D utraque parte lacum accolunt, diripiunt, hoſtili inter ſeſe animo, ſcitè navigiis id privatim percipientes: conficiunt enim arundinum prægrandes rates, quas in lacum conjiciunt, atque in his ſedent non plures tribus, quorum duo alligatos habentes remos, remigant: unus arcus ferens, ſi qui adnavigant ex ulteriore ripa, aut viam tentare audent, propulſat. Ubi propè bitumen ventum eſt, inſiliunt cum ſecuribus quas habent, ac tanquam de molli petra ſecantes, ratem replent. Deinde retrò navigant. *Diod. l. 19.* Aſphaltites Palæſtinæ lacus nihil præter bitumen gignit, unde & nomen. Nullum corpus animalium recipit: tauri camelique fluitant. Inde fama nihil in eo mergi. Longitudine excedit CM. paſſuum. *Plin. l. 5. c. 16. & Strab. l. 16.*

In Zacyntho inſula ſunt complures lacus, quorum qui maximus, ſeptuaginta quoquò verſus pedum eſt, altitudinis duum paſſuum: in hunc virgines contum, cujus in ſummitate myrtus alligata eſt, demittunt: deinde referunt myrto picem, odorem quidem aſphalti habentem, ſed cætera præſtantiorem pice Pieria; eamque in ſcrobem, quem juxta lacum foderunt, effundunt, & ubi multum illius aggeſſerunt, ita è ſcrobe in amphoras transfundunt. Quicquid autem in lacum decidit, id ſub terram means redditur in mari, quod à lacu quatuor ſtadiis abeſt. *Herod. lib. 3.* E

In ipſis Apolloniatarum Illyriorum finibus celeber locus extat, quem Nymphæum vocitant: ibi petra eſt ignem vomens, cui fontes ſubſunt, qui aqua tepida bitumineque ſcatent, dum ipſa bituminis petra (uti par eſt) uritur. Propè verò in tumulo ejus metalli effoſſilis locus eſt, quod exciſum tēporis ſpatio denuò repletur: cumq; tellus intra foſſas aggeſta ſit, in bitumen transformatur, Poſſidonio teſte. Idem memoriæ prodidit, terram vinetis conſitam, bitumine refertam, quæ in Seleucia Pieria jacet, vineis eſſe remedio. Nam ſi cum oleo jungatur, beſtiolas ad germina è radice aſcendentes necari. *Strabo lib. 7.*

Abdiabene, regio media inter fluvios Tigridem, & Euphratem: vocatur & Meſene, quaſi Interamniam dicas, vel, regio ſita ante Meſopotamiam, verſus Orientem, ultra Trigidem. In ea bitumen eſt, quod naphtha dicitur. Eſt autem Abdiabene ſortita nomen è difficili tranſitu, propter fluviorum frequentiam. Illic ſita eſt etiam Ninive. Bitumen porrò F ædificia ita firmat, ut coctilibus lateribus, & minutis lapillis immiſtum, ferro quovis robuſtiora fiant. Illic etiam ſunt Averni fauces, è quibus dirus halitus expirat, qui quovis terreſtre animal quamvis alitem perimat, ſi olfecerit duntaxat ex propinquo. Qui ſi ſpargeretur, habitari locus ille non poſſet. Verùm recta linea aſcendit: & cùm paululum emerſerit, rurſus infringitur. Unde volucres altiùs volantes evadunt, & animalia quæ in circuitu paſcuntur. *Suidas.*

* USUS.

Quis bituminis ſit uſus, conſtat ex dictis, nempè quòd firmandis ædificiis adhibeatur, navibuſque illiniendis, ne aquis perviæ ſint, ſerviat. Unde & arcam illam Noeticam juſſit Deus illini intùs & foris bitumine: idque multò aptiùs quàm pice, nempè ad trabes, & tabulata conglutinanda & conſolidanda, atque ad fœtorem, ex animalium ſtercore provenientem, diſpellendum. Eſt enim bitumen ſatis odorum.

Sed & virtus illius in colligandis, & conglutinandis vulneribus ac nervis, probatur. Præbuit autem calcis uſum Semiramidi Reginæ bitumen, dum Babyloniorum muros teſtaceo latere compingeret, & bitumine agglutinaret. G

Quin bitumen, quod in lacu Aſphaltide Judææ, & mare mortuum in S. litteris dicitur, reperitur, ſingularis fuit virtutis. Tantæ enim tenacitatis fuiſſe perhibetur, ut quæcunque eo oblita eſſent, non alia re, quàm ſuperfuſo muliebri ſanguine menſtruo, diſſolvi poſſent. Refert *Perer. lib. 10. in Geneſ.*

Blanditia.

* BLanditia, Comitas eſt in ſermone propriè: at transfertur etiam ad mores, & alia obſequia, ac nonnunquam in deteriorem partem ſumitur, pro adulatione, v.g. & illecebris illicitis. Græci χρηστολογίαν, atque ἐπῳδὴν vocant.

HIC AUTEM PRIMUM CONSIDERATUR
QUO AD MORES. IN
CONVERSATIONE NIMIUM BLANDI.

Antiochus Epiphanes primò, poſtea Epimanes, hoc eſt, Inſanus dictus, Syriæ rex, tanquam aulam fugeret, ubicumque locorum in civitate ſervos conſequeretur, ſecundus vel tertius inter eos conſpiciebatur, atque in argenti aurive officinis ſæpiùs de arte diſſerens, unà cum tornatoribus, aliiſque artificibus deprehendebatur. Poſteà verſabatur cum plebeiis nullo habito delectu, atque cum viliſſimis peregrinis bibere H conſuerat, & unà ſari. Cùm juvenes aliquos ſimul convivantes audiret, accedebat cum fictili, & ſymphonia, laſciviens, ita ut multi, ob non ſperatum illius adventum, aufugerent. Sæpè regia etiam veſte depoſita, lucernaque aſſumpta, forum circumibat, populi gratiam aucupans, atque hos quidem dextra apprehendens, illos autem complectens, ut ſibi ſuffragia donarent, precabatur. Sæpiùs inſuper Ædilis fiebat, ſæpiùs velut Tribunus plebis. *Athen. l. 5. c. 4.* Sæpiùs coronam ex roſis compactam habens in capite, auro intextum indumentum, circumibat, lapides habens ſub ala, quibus ſuos pediſſequos percutiebat. *Idem lib. 10. c. 12.*

Cùm in Imperatorio triclinio nulli liceat ſtare, præter uxorem, liberos, fratres, & patruos fortaſſe Imperatoris; Andronico tamen Juniore Imp. ibi ſtante & diſſerente, non modò omnis nobilitatis adoleſcentia illi aſtabat, ſed & plebejorum miniſtrorum quilibet. Unde ſæpè turba hominũ ita premebatur & urgebatur, ut ipſe deflecteret, ac loco cederet: aliiſq; ſuperiore ſtatione conceſſa, paulatim ad inferius pavimentum deſcenderet, nemini omnium ſuccenſens. *Greg. lib. 11.*